



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Praeposito & Conventui Montis-Sereni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

# Romani Pontificis Lib. V.

615

*Preposito & Conventui Montis-Sereni.*

*Epist. 10.  
Indulgentiae eis  
ut carnes co-  
medere possint.  
Vide Chroni-  
Montis-Sereni  
pg. 70. & seq.*

**E**xposuisti nobis, fili Præposite, in nostra præsentia constitutus quod cùm Ecclesia vestra sit in excelsi montis cacumine constituta, & distet non modicum à locis illis in quibus piscium consuevit abundantia inveniri, non potest vobis congruè in esu piscium provideri. Propter quod humiliter postulabas à nobis ut vobis infra septa Ecclesia vestrae vescendi carnis licentiam præberemus, cùm necessitas postulet, & utilitas hoc requirat, quia sufficientiam piscium absque magnis expensis habere nequitis, & abstinere tam à piscibus quam à carnibus gravissimum reputatis. Nos igitur ex hoc devotionem veltram in Domino commendantes, quod sine speciali licentia nostra consuetudinem Ecclesia vestrae infringere noluistis, præsenti vobis pagina taliter respondemus, quod cùm regula beati Augustini, quam estis professi, vobis esum carnium non inhibeat, sed concedat, vos secundum tenorem regulæ, nisi voto vos astrinxeritis speciali ab clu carnium penitus abstinere, carnes certis & statutis diebus, dummodo sine scandalo fiat, de nostra licentia comedatis. Sic autem id moderatè fieri concedimus quod & regularis ordo servetur illæsus, & vos hoc videamini non ad saturitatem sed ad necessitatem potius postulasse. Datum Laterani XI. Kal. Aprilis.

*Senonensi Archiepiscopo.*

*Epist. 11.  
Pro absoluto-  
ne Nivernensis  
Episcopi.*

**N**on tam Petro quam petræ &c. pro absolucione Nivernensis Episcopi, usque ad satisfacere plenè volens, nuntium suum ad sedem apostolicam destinavit, per quem &c. usque supplicatur. Nos igitur eidem laborem itineris de consueta sedis apostolice mansuetudine relaxantes, fraternalitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ab eo quod mandatis apostolicis pareat &c. usque suspensus ad cautelam. Datum Laterani XVII. Kal. Aprilis.

*Abbatu sancti Dionysij, Priori sancti Martini  
de Campis, & I. Magistro scholarum  
Aurelianensem.*

*Epist. 12.  
De recipienda  
purgatione ca-  
nonica Archi-  
diaconi Carno-  
tensis.  
Cap. Cum di-  
lectus. De pur-  
gatione canonica.*

**C**um dilectus filius P. tituli sancti Martelli Prebyter Cardinalis dudum in regno Francie legationis officio fungetur, & Ecclesie Carnotensi, qua inter Ecclesias Galicanas multa consueverat religione florere, debitæ visitationis sola-

tum impendisset, sicut ex conscriptis & dictis ejus accepimus, domum Dei factam domum negotiationis & negotiatores affiduè vendere in templo Dei columbas inventit, & vineam Domini Sabaoth, quæ uvas facere consueverat, conversam in amaritudinem vitis alienæ germinare labruscas. Sanè inter alia qua ibidem sibi reprehensibilia occurserunt, dilectum filium Henricum majorem Archidiaconum de sua dignitatis emptione, multisque aliis, nec etiam nominandis, didicit publicè infamatum. Vnde, ut saltem de multis quo ibi corrigenda erant, quoniam in agro illius Ecclesia pro frumento tribulus & spina pro hordeo nascetur, animadvertisse aliqua videatur, eum suspensionis duxit sententie supponendum, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Abbatu de Sarraio & magistro G. de Duaco Canonico Parisiensi mandans & in virtute obedientiæ districte præcipiens ut ipsam sententiam, cum aliis qua statuerat, infra quinque dies post susceptionem literarum suarum tam suspenso quam aliis publicè intimarent, sicut ex rescripto Cardinalis ejusdem perpendimus evidenter. Consequenter vero idem Archidiaconus ad præsentiam nostram accedens, super imposito sibi crimine simoniae suam nitebatur innocentiam, canonicam super hoc purgationem coram nobis offerens, demonstrare, humiliter postulans, purgatione recepta, suspensionis per nos sententiam relaxari, cui subjectus fuerat præter suorum exigentiam meritorum. Nos autem, ut hujusmodi purgatio, si præstata fuerit, debitum consequatur effectum, eam in partibus vestris satius credimus exhibendam, quarinus ubi malum ortum fuerat, moriarur, & afferatur scandalum de cordibus aliorum quos fama vel infamia verius tanti mali reddiderat tristiores. Cùm igitur de prudentia & honestate vestra indubitatam fiduciam habeamus, vices nostras vobis in hac parte duimus committendas, per apostolica scripta mandantes quod nisi post denuntiationem indicande purgationis publicè factam in Ecclesia Carnotensi legitimus contra eum infra viginti dies apparuerit accusator, vos ei purgationem canonicanam indicatis ad minus tertia manu sui ordinis exhibendam; qua præstata, & suspensionis sententia relaxata, boni cum testimonij nuntieris, arctius inhibentes ne quisquam ipsum super hoc deinceps molestare præsumat. Si vero indicatam sibi purgatio-